



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

I. Meditatio: De judicio Dei universali.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)





## DIES QUINTA

*B. Iosepho, Sponso B. V.  
consecranda.*

Oratio jaculatoria hujus diei  
erit ista : *Domine, dum  
veneris judicare, noli  
me condemnare.*

## MEDITATIO I.

*De abyssio Iudiciorum Di-  
vinorum.*

De iudicio Dei fieri posse Meditatio-  
nes in Exercitiis, innuit S. Pater, in fine  
*Exercitij V. Hebdom. 1.*

ORATIO PRÆPARATORIA, &  
PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo  
gratiam, per quam à iudiciis ejus for-  
midet cor tuum.

PUNCTUM I. Audi Deum dicen-  
tem, per S. Paulum *ad Rom. 9. Cum  
nondum nati fuissent, &c. Jacob dilexi, Esau  
autem odio habui: Et considera abyssum  
iudiciorum Dei circa te, antequam ex-*



stitisti. 1. Alterutrum horum est : vel prædestinavit te Deus , seu elegit ad gloriam æternam , electione meri doni , sine ullis tuis meritis ; vel post prævisa peccata tua reprobavit te : horum cum neutrum determinatè scias , quomodo non pavebis ? 2. Ordinavit seriem prædestinationis tuæ , cum multis occultis tibi conditionibus , licet in potestate tua possitis , *si* , *si* , &c. Quæ cum tibi sint ignotæ , quomodo non pavebis ? 3. Computavit & determinavit dies tuos , fecitque decreto suo terminum vitæ tuæ ; quem cum ignores , quomodo non pavebis ? 4. Determinavit numerum gratiarum efficacium tibi dandarum , & mensuram peccatorum à te liberè committendorum ; quam cum ignores , quomodo non pavebis ?

II. Audi Deum dicentem *1. Reg. 16.* *Non juxta intuitum hominis ego judico :* Et considera abyssum judiciorum Dei circa te , totâ vitâ tuâ. 1. Nescis , utrum odio , an amore dignus sis. 2. Nescis , an sis perseveraturus usque ad finem. 3. Non unus fortè ex sæcularibus est te melior. 4. Scis evidenter , quòd peccaveris ; remissam autem tibi esse peccatum , nescis : quia nescis , an vel unicum actum supernaturalem in tota vita tua elicueris , qui tamen actus requiritur ad remissionem peccati. 5. In Angelis suis reperit pravitatem Deus , colum-



næque cæli ceciderunt, & tu non timebis?

III. Audi Psalmistam *Psal. 67. Domini, Domini; exitus mortis*: Et considera abyssum judiciorum Dei circa mortem tuam, & ea, quæ consequentur mortem. 1. Multi, qui diu benè vixerunt, in extremo vitæ puncto damnati sunt, id & tibi contingere potest. 2. *Si justus vix salvatur*, tu ubi parebis? 3. Clamabat ille: *anima mea! 70, annis servivisti Deo, & egredi times?* Tu autem eo tempore quid dices? 4. Fortè jam recepisti mercedem tuam, vanus vanam. Et nōne timebis?

COLLOQUIUM. Quis non timebit te Domine, quia solus pius es? non me ita terret justitia tua, sicut me terret misericordia tua, cui malè respondet miseria mea. Tot me jam vallâsti beneficiis, munivisti præfidiis; & ego hostili animo contra te insurrexi, munitiones tuas contra te verti. O quis erit exitus meus? Miserere Domine, & ne despicias in finem. In fine Pater, & Ave, & Anima Christi, &c.







## DOCTRINA PRACTICA,

Tempore Matutino Diei  
quintæ relegenda.

*De timore Iudiciorum Dei.*

1. **N**omine iudiciorum Dei intelliguntur non solum illa duo Tribunalia Dei, quorum unum absolvitur in morte cuiusque hominis, alterum peragetur in die novissimo; sed etiam mirabiles quædam Dei dispositiones circa creaturam suam, quas Scriptura interdum vocat *abyssum*: *Judicia tua abyssus multa Ps. 35* Interdum, scientiam quandam imperscrutabilem: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam: nonnunquam, nubem, in qua est latibulum Dei; interdum, lucem inaccessibilem 1. Timoth. 6.*

2. In re autem iudicia Dei nihil aliud sunt juxta Salianum, lib. 2. de timore Dei c. 3. nisi divinæ illæ actiones, quæ superiorem quandam Regulam, & quotidianam pervulgatamque providentiâ sublimiorem sequuntur. Quod ipsum prædictus auctor sic exemplificat: *usitata, inquit, providentia est, ut, qui sanctè vixit, felici morte defungatur,*



& ut perditam vitam mors execranda consequatur, perinde atque is, qui Babylonem, vel Hierosolimam magnis & continuis itineribus contendit, finaliter Babylonem, vel Hierosolimam perveniet. Sed illud mirabile est, si is, qui Babylonem intendebat, ad eamque dies noctesque properabat, Hierosolimam perveniat, & vice versa; hoc est, ut, qui diu male vixit, bene moriatur, & vice versa; atque hæc inter alia sunt abyssalia judicia Dei, quæ ut Religiosus assuescat salubriter timere, hæc possunt subservire praxes.

Primò cogitet interdum: quis scit, an nomen meum scriptum sit in libro Vitæ? ingessit olim cogitationem hanc S. Bernardus fratribus suis in sermone ad eos habito, dicens; quis scit, an omnium vestrum, quos video, nomina scripta sint in libro vitæ? fundaturque hæc cogitatio in illo ipsius Incarnatæ Sapientiæ oraculo: *Multi vocati, pauci electi: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum calorum.* Non sunt tamen formanda ex hac cogitatione duo extrema, ad infernum deducentia, nempe, extremum præsumptionis, & extremum desperationis; sed temperanda est illo effato: *Si non es predestinatus, fac ut predestineris; & enitere ita vivere, ut caelesti habitationi congruas.* De quo quidem effato controversitur, an sit



prolatum à S. Augustino ; hoc tamen de illo sentiendum , quòd fundetur in doctrina supremi post Christum Ecclesiæ Doctrinis , S. Petri , qui ait , *Epistola 2. cap. 7. Fratres , satagite , ut per bona operacertam vestram Vocationem & Electionem faciatis : Et hoc est : fac ut predestineris : Ut dum tibi non constat de Electione tua , per bona opera certam tibi illam facias. Velim tamen Religiose , circa hanc quæstionem , & cogitationem hæc advertas : Scis utique , quàm bonus sit Deus ; Scis , quàm dignus sit omni possibili amore ? Scis , quòd Deus , etiam damnando te , sicut non potest non esse Deus , ita non potest non esse bonus. Scis , inquam , hæc omnia ; quomodo ergo non erumpes in hunc actum ? ô Deus ! ô bonitas ! ô dignitas amoris ! dato , quòd sim reprobus ; dato , quòd te non sim amaturus in æternum , hoc ipso per totam vitam meam amabo te , & ex amore tuû serviam tibi. Si homines mundani eò etiam titulò inhiant & adhærent viscosè rebus temporalibus , quia illis non sunt fruituri post mortem ; quantò æquiùs ego fruam te in vita , si te non sum fruiturus post mortem ? caream cælo , & dato , quòd carebo te in cælo , hòc ipso nolo te carere in terra , ne sim bis miser , & ibi , & hîc : ne sim ante tempus infelix , quidquid sit tandem , committo tibi , & judiciis tuis ,*



mihî sufficit , ita adhærere tibi , ut non dimittam te , quamdiu fuero.

Secundò : non fidat Religiosus statum suo nimis , sed audiat S. Hieronymum , quem sonitus judicariæ tubæ , totum mundum ad extremum Dei judicium convocaturæ , non attentum duntaxat & pervigilem , sed etiam intentissimum servitio & timori Dei reddiderat ; audiat , inquam , illum dicentem : *Non Hierosolymis vixisse , sed Hierosolymis benè vixisse , laudabile est.* Magna Dei misericordia , quòd de sæculo nequam eductus sis , Religiose , & positus in Religione ? sed nunquid hòc ipsò in gratia Dei confirmatus es , & impeccabilis redditus ? Est Religio cælum ; sed in cælo deliquit irremediabiliter Angelus. Est Religio paradifus ; sed & in paradiso primi parentes innocentiam abliguriverunt. Est Religio cœtus Apostolorum ; sed & in hoc cœtu prævaricatus est Judas. Habetur clausura ; sed & eam fur infernalis suffodere potest. Coërcet à malo ipsa vestis Religiosa ; sed & in ea , nisi adsit timor Dei & custodia sui , Filium prædestinationis præscindi potest.

Tertiò : Non patiatur Religiosus , se vinci à sæcularibus in servitio Dei , ne cadat in eum illa Christi sententia : *Auferetur à vobis Regnum Dei , & dabitur genti facienti fructus ejus.* Non sunt hæ novæ apud Deum transmutationes & trans-



lationes, ut unus alterius ingrati occupet locum: sic superbi Luciferi S. Franciscus Assisias dicitur in cœlo obtinuisse principatum; sic in locum proditoris Judæ, substitutus Matthias; sic Apostoli, Judæis nolentibus recipere Verbum Dei, conversi sunt ad Gentes; Sic multi venient ab Oriente, & ab Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Dei, filii autem Regni ejicientur in tenebras; sic in die judicii dicet Christus nonnullis, qui in nomine ejus multas virtutes fecerunt: *Nescio vos; recedite à me operarij iniquitatis.* Et quod miserandum! contingit interdum, ut illi, qui alios erudierunt, & perduxerunt ad salutem, illi, inquam, ipsi damnentur. Ad quod respexisse videtur Spiritus Sanctus, per Ecclesiastem cap. 9. dum ante illam sententiam, *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*, præmisit: *Sunt justi, atque Sapientes, & opera eorum in manu Dei*: ita fit interdum, ut discipulis detur regnum Dei; ab iis autem, qui eos erudierunt ad salutem, auferatur; ut discipuli, auditores, pœnitentes, profelyti, sint in manu Dei; eorum autem Professores, Magistri, Concionatores, Confessarii, ad Religionem Directores, devolvantur ad manus diaboli: quam vicissitudinem expendens S. Gregorius Magnus Homil. 17 in Evang. cum dolore ait: *Per nos, fideles, &c. ad*



regnum calorum pertingunt, & ecce, nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Exempla hujus dolendæ vicissitudinis, tam in Historiis Ecclesiasticis, quàm in Chronicis Religionum sunt plurima, quæ referre, angustia libelli hujus non permittunt. Hoc igitur, Religiose, cordi tuo altè impressum gere, & formida, ne Deus te ingratum, inutilem, suoque rebellem lumini, ex Religione sancta eliminet, & in locum tui alios meliores subroget: formida & illud, quod olim inculcabat P. Fabricius Banfus, Visitator Poloniae & Lithuaniae, *Serve-mus, Fratres mei, Regulas nostras, ne Deus locò nostræ eligat sibi vel excitet aliam Religionem, & nos projiciat, sicut tot alios projecit.* Sit autem formido ista, non merè speculativa solùm, sed practica, & morum (juxta normam exactæ Religiositatis) correctiva.

